



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

X. De diaconibus protestantibus, cum ordinantur, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

## X.

Diaconi quicumque, cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere vxores, nec posse se continere; hi postea si ad nuptias venerint, maneat in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, a ministerio vel clero cessare debent, laicam tantum recipientes communionem.

## XI.

Desponsatas puellas, & postea ab aliis raptas, placuit erui & his reddi, quibus fuerant ante desponsatae, etiam si a raptoribus florem pudoris sui amisisse constiterit.

## XII.

Eos qui ante baptismum sacrificauerunt, & postea baptismum consecuti sunt, placuit ad ordinem promoueri, tamquam ab omni crimine, lauari salutaris sanctificatione, purgatos.

## XIII.

Vicariis Episcoporum, quos Græci \* Chorepiscopos vocant, non licere vel diaconos ordinare: sed nec presbyteris ciuitatis, sine Episcopi præcepto, amplius aliquid imperare, vel sine auctoritate literarum eius in vnaquaque parochia aliquid agere.

Id est, Episcopos regionales seu rurales.

## XIV.

De his qui in clero sunt presbyteri vel diaconi, & abstinent a carnibus, hoc placuit statui, vt non eas tamquam immundas contemnant, sed con-